

**Dissertatio medica, inauguralis, de paralysi ... / eruditorum examini subjicit
Trevorus Jones.**

Contributors

Jones, Trevor, 1751?-1832.
Lister, Dr
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1780.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hkrmvmdw>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
TRACTS 1769
PARALYSIS.

Q U A M,
ANNENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

N E C N O N
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

T R E V O R U S J O N E S,
C A M B R O - B R I T A N N U S,
Societ. Reg. Med. Edin. Socd.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXX.

49

ЕСТЬ
ЛЮДИ ОБРАЩАЮЩИ

СЯ К СВОИМ

ДУШАМ И ПРОСЫКАЮЩИ

СЯ К СВОИМ ДУШАМ.

СЛОВА ПОСЛАНИЯ

C U L L E N O,

Praeceptoris suo,

Propter amicitiam,

Quam omnibus in rebus in se demonstravit,

Plurimaque ejus consilia

Privata, excellentissima,

Quae inde plane profluxerunt,

Sibique,

Per totum vitae decursum,

Erunt utilia;

Has paginas sacras esse

Voluit

A U C T O R.

For Mr. Lister
with Compts.
From the Author

L O T C U A

DISSE

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

P A R A L Y S I.

CHARACTEREM hujus morbi sequentem a Culleno illustrissimo in classe Neurosium, et ordine Comatum, traditum, adhibere decrevimus, eum cuilibet alii jure anteponendum ducentes. “ Motus voluntarii nonnulli tantum imminuti, saepe cum sopore *.” Aliorum nosologorum definitiones silentio ex toto praeteribimus. Si quis eas velit videre, opera eorum adeat.

Hippocrates hunc morbum *Paralyzin* tantum appellavit ; alii vero auctores, pro natura affectus vel parte corporis laborante,

A

alia

* Synops. Nosol. Method. tom. 2. p. 192. edit. 1780.

alia ei nomina indiderunt, velut *Amaurosis* cum sensus, et *Paralyxin* cum motus, sensu integro vel extincto, perditur; *Paraplegiam* vel *Paraplexiam*, cum partes universas infra cervicem invadit. Quantum vero hujus vocabuli sensum spectat, auctores inter se differunt. ‘Est summa,’ inquit Sauvageius celebris, ‘debilitas sensus et motus, vel alterutrius in dimidio corporis transversim sumpti, vulgo extremorum inferiorum cum enuresi continua, anaphrodisia,’ &c. ‘Omnium est,’ inquit Vogelius, ‘partium sub collo, aut saltем medii corporis, artuumque inferiorum, paralysis.’ ‘Sopor est,’ ut Linnaeus memoriae tradit, ‘constans partium sub thorace.’ ‘Est,’ ut ait Sagarus, ‘paralysis artuum inferiorum, vel omnium artuum cum enuresi, anaphrodisia, quandoque et anaesthesia, ac marafmo.’ Characterem Vogelianum reliquis, cum exemplum utrumque satis designet, anteponendum ducimus. Alia nomina, quae species morbi a se invicem distinguunt, sunt *Hemiplegia* et *Paralysis*

lysis localis. Reliqua nomina, quae paralysi partium singularium soleant indi, ut longiora et nullius momenti, omittimus.

PHÆNOMENA MORBI.

Prima, quae se ostendunt, signa referemus, quae, quanquam sensus vel motus non prorsus aboleatur, partem tamen morbi constitueri existimari possunt. Quantum ad curationem attinet, hoc non parum profuturum esse speramus.

Qui affectus primum notatur, is est aliquorum motuum a voluntate pendentium instabilitas. Si alterum latus tentetur, motus brachii pedisque ejus lateris instabiles sunt, et minus facile, quam alterius proprii, regi possunt. Recta antrorsum ambulare nequit aegrotus, sed latus affectum versus frequenter vergit, quamvis hoc vitare diligenter conatur. Manus ei tremit, nulloque motu accurate fungi valet. Exemplum
hujus

hujus luculentissimum in viro generoso vi-
di, qui, licet globulis eburneis ludendi fu-
erit peritissimus, pilam modice distantem
dextra percutere non potuit, quanquam si-
nistra insueta hoc facile praestitit.

Haec nonnunquam in aliquot menses
gradatim increscere pergunt. Alia deinde
paralysis appropinquantis signa evidentiora
se ostendunt, qualia sunt memoria tarda et
verba enunciandi difficultas. Ægrotum
brevi invadit paroxysmus apoplecticus, vel
torpor unius, et alia signa postea dicen-
da.

Signa supra comprehensa notandi occa-
sio nobis rarius subministratur; sed aegro-
tum de vertigine et capitis gravitate, stupe-
re, et oblivione querentem offendimus. Has
notas aliquando praecedit apoplexia. Pro-
tinus breve amittitur certae partis, alterius
plerumque lateris, motus. Sensum fri-
goris in latere vel parte laborante, aliquan-
do tremorem et dolorem, saepius vero
magnum torporem, qui nonnullis in exem-
plis ab initio usque adfuit, et ponderis sen-
sum

sum queritur. Pulsus arteriarum sub initium saepe frequentes et inaequales, et nonnullis in casibus celeres et duri; plerumque tamen molles et tardi. Sitis interdum subest. Alvus fere semper dura. Corpus plerumque aridum, et sudor, cum movetur, semper viscidus, praesertim in parte laborante, quae eodem tempore signa contractionis manifesta habet, dum latus integrum spasmis afficitur *.

Non raro rapide titubanterque loquitur, praesertim si morbus sit hemiplegia, adeo ut ea, quae enunciet, nequeant intelligi. Pleraeque faciei partes, praesertim os distorquetur.

Cum morbus lenis est, aegrotus levatur, et nonnunquam, quamquam rarius, ex eo emergit. Caeterum plerumque pertinacior est, et, quamquam eo laborans aliqua ex parte levari potest, alteri tamen paroxysmo priore graviori objicitur, et morbus continuus evadit, nulla arte tollendus, immo morte saepe finitur.

In

* Hoffman, tom. 3. de resolutione nervorum,

In exemplis vero maxime communibus, morbus sub initium magis fixus est, et, prout progreditur, stupor, pallor, torpor, &c. increscunt, et paucis in casibus sensus ex toto aboletur. Interdum, cum sensus partis imperfectus manet, quasi punctiunculae lenes, repentes, una cum vellicationibus modicis convulsivis, subsunt. Dolores acuti nonnullos corripiunt; quod tamen rarum esse opinamur *. Nonnunquam musculi flexores magnopere contrahuntur et rigescunt, ut demonstrant digiti tanta violentia, ut ungues volam penetrant, contracti. Aliquando tamen, sensu magis abolito, solida simplicia flaccida sunt, et in omnibus exemplis tactui frigida tabescunt. In studio ultimo tumor oedematosus accedit. Ictus arteriarum, praesertim partis affectae, hoc tempore admodum molles.

Morbo etiam hunc in modum progrediente, aegrotus nonnihil levatur, et usum partium laborantium imperfectum sibi acquirit,

* Senac, de la structure du cœur, tom. 2.

quirit. Sermo intellectu facilior evadit, et partes faciei diversae minus distorquentur. Memoria judiciumque aliqua ex parte redeunt. Hoc in statu multos annos interdum vivit aegrotus.

C A U S A P R O X I M A.

Pauca prius physiologica et pathologica, quam hanc exponere, quod quidem in primis difficile, aggredimur, de systemate nervoso tradenda curabimus.

Systema nervosum sensus et motus organum est *, et omnes oeconomiae animalis functiones

* Cum veritate hujus, quod asseruimus, pugnare videntur sequentia, animalia, quibus cerebra morbida, valetudine, uti videtur, commoda frumenta, classis animalium infima cerebro destituta; exempla quaedam foetuum † monstrosorum, capite cerebroke parentium, qui aliquandiu a partu vixerunt. Caeterum experientia a Galeno ‡, et illustrissimo Monroio §, in ranas, &c. instituta, rem ita se habere clare demonstrant.

† Memoires de l'Acad. des Sciences, 1720.

‡ De Motu Musculorum.

§ Praelect.

functiones ab eo pendent. Omnes impres-
siones ad eam ejus partem, quae cerebrum
appellatur, ante devehantur necesse est,
quam ullam earum notionem, aut etiam no-
titiam, habere possumus. Utrum vero im-
pressions ad cerebrum universum, vel cer-
tam ejus partem tantum, hoc modo deve-
hantur, nondum compertum habetur. Haec
autem impressiones sentiendi potestas in ce-
rebro subest, et inde in omnes corporis par-
tes diffunditur. Cum sui generis sit, et ani-
malibus vivis propria, eam in posterum Vim
Nervosam appellabimus.

Nervi e substantia cerebri medullari con-
flantur; sed fibras evidentius ostendunt, quae
pia matre separatim involutae sibi invicem,
donec partem, cui destinentur, attingant,
parallelae procurrunt. Inter progredien-
dum tamen, nonnunquam dividuntur, ra-
mos dimittunt, vel per ganglia transeunt;
quibus in exemplis, si fibras partis cujusque
divisae excipias, parallelae esse cessant. Cum
ad musculum, cui destinantur, accedunt, in
fibras

fibras * admodum exiguae innumeræ dividuntur.

Ex observationibus † Monroii illustrissimi accuratissimis discimus, has modum in pulcherrimum esse convolutas, et maximam musculi partem conflare videri.

Si nervus sub originem, vel in qualibet alia sui decursus parte, comprimatur, vis nervosa non amplius per eum, donec causa tollatur comprimens, transit. Si pressura adeo diu, ut textura ejus deleatur, fuerit admota, in posterum ex toto perditur. An hoc filamentis nervi parallelis in eodem arcto contactu, quem fecit pressura, manentibus referendum?

Si nervi structura quolibet modo mutetur, idem incidit.

B Pro

* Una harum, ut subduxerunt nonnulli, partem capilli communis $\frac{1}{32460}$ non excedit.

† Praelect. Hae observationes microscopio, quod sibi objecta circiter centies et sexagesies magnitudine vera majora reddidit, factæ.

Pro affectibus cerebri diversis, vis ipsa nervosa diverse affici potest. Ita aliam magis, quam aliam, partem status ejus singularis excitare, et igitur exempla delirii diversa facere, valet.

Proximum est ut morbum ipsum consideremus. Eum pro affectu et sensus et motus habuerunt medici. Uterque saepe, quanquam nulla necessitate, conjungitur, et a similibus et iisdem causis non raro pendet. Jactura motus, sensu integro, subesse, et motus, sensu amissso, integer esse potest *. Paraly sis, sensu superstite, absoluta esse potest, cum plerique medici, et character, quem adhibendum putavimus, per vocabulum *paralysis* motus muscularum voluntati parentium jacturam tantum significant. Hinc jacturam cum motus tum sensus in eodem incidentem prorsus fortuitam esse apparent, quamvis Gaubius sagax id quod sequitur memoriae tradit: “ Exquisita di-“ citur,” nempe paralysis, “ si sensus una “ cum

* Ill. Culleni Praelect. de Pathologia.

“ cum motu deest: Sin supereft, imper-
“ fefta *.”

Sensum et motum amissum separatim considerare non alienum foret. Incepto vero hujusmodi absistendum, cum, ob systema nervosum parum intellectum, ea, quae motus tantum in alio exemplo, et sensus tantum in alio, jacturam faciant, difficillime, immo forsitan minime, comperire possimus. Et hunc et illum amissum actioni causarum remotarum potentiori tribuendum ducimus. Motum igitur amissum tantum, et paucis, exequemur, cum causas universas debilitatis, et hujus gradus diversos, plenius investigare nos ab incepto longius traheret.

A causis paralyfis considerandis incipiemus. Hae, Gaubio judice, ad tria capita redeunt: ‘ Debetur multiplici vitio: 1. Cerebri, cerebelli, medullae oblongatae, spinalis, nervorumque inde porrectorum in truncis, gangliis, ramulis suis; quo fit, ut vis nervea torpeat, deficiat, aut, sublato

‘ iftarum

* Gaub. Pathol. §. 752.

' iftarum partium cum fibris motricibus
 ' commercio, intercipiatur: 2. Systematis
 ' circulationis, quo influxus humorum vi-
 ' talium in organa motus imminuitur, suf-
 ' flaminatur: 3. Villorum denique muscu-
 ' larium labi propriae, distractione, pressio-
 ' ne, diuturna quiete, intensiore actione,
 ' relaxatione, siccatione, texturae alienatio-
 ' ne, inductae, qua ad motum inhabiles
 ' redduntur *.

Utrum hic Gaubius vitia systematis mul-
 tiplicia esse afferere necne velit, statui nequit.
 Duo vero neminem, qui medicinam facit,
 latere debent, unum a virtute motrici ex-
 tincta vel collapsu †, alterum a compres-
 sione, vel talibus cerebri affectibus organi-
 cis, quales exercitationem potestatis nervo-
 sae,

* Gaub. Patholog. § 753.

† Cullenus celeberrimus hoc vocabulum non ali-
quid explicandi, sed statum rerum minime dubitanda-
rum certum significandi, tantum consilio adhibet ‡.

Idem omnino hac in dissertatione significabit,

‡ Physiolog. §. 130.

fæ, vel statum cerebri excitatum, impediunt, pendens.

Quomodo Boerhaavius et Gaubius vitium circuitus sanguinei pro causa paralysis habeant, non intelligimus; deliquum enim animi prius oritur, deinde status paralysis, qui non loco proprius est, sed universas systematis fibras musculares invadit. Utrum hic sine illo unquam necne moveatur, nondum compertum. Hoc nunquam quidem incidere opinor. Nonnulli aortam vinclam paralysin artuum inferiorum facere ponunt. Qua ratione vero hoc agat, utrum musculos an medullam spinalem afficiat, statuere possumus? Sanguinem igitur nihil aliud, quantum ad sistema nervosum attinet, praestare, quam id sanum et integrum gradum caloris et tensionis ei idoneum comparando, servare concludimus.

Cum paralysis operationi aneurismi arteriae brachialis causa institutae succedit, fluxus sanguinis in brachium impeditus paralysin facere fuit existimatus. Caeterum,

in

in duobus hoc genus exemplis *, aegroti motum sensumque brachiorum recuperarunt, et, cadaveribus annos post triginta incisis, nervos una cum arteriis fuisse ligatos, et muneribus fungendi per duos nodos, ganglia referentes, ad partem ubi vincitae fuerunt formatos, potestatem sibi adeptos repertum.

Insuper, in exemplis, ubi paralysis ab arteriis vincitis proficitur, morbus post aliquantum temporis tantum et semper tarde accedit. Tensio et calor primum imminuntur, et, brevi postquam paralysis invasit, brachium gangraena corripitur. Hinc cogimus sanguinem nihil aliud quam calorem musculi et tensionem servare.

Vitia fibrarum muscularium pro causis paralysis forsitan non debent haberi. Multa eorum tamen nimia tensione, &c. muscularum, potestatem ei insitam forsitan perdendo, adeo debilitant, ut eum, in quem vis animalis agat, parum aptum efficiant.

Cullenus

* Molinelli comment. academ. Boñon. t. 2. p. 2.

Cullenus * quoque celeberrimus causas paralysis ad tria capita reduxit: 1. Ad statum collapsus in cerebro, statui somni non absimilem. 2. Ad has causas, quae commercium originem nervorum inter et musculos corporis diversos interpellant. 3. Ad causas jacturae potestatis fibris muscularibus ipsis insitae diversas.

Phaenomena et pathologia jam tradita, natura causarum remotarum sedans, effectus stimulantium in curatione adhibitorum manifesti, et experimenta in ranas aliaque animalia instituta, plane demonstrare videntur, defectum potestatis nervosae vel ab eo ejus statu, qui collapsus vocatur, vel a motu ejus a cerebro ad partem laborantem impedito pendentem, pro causa hujusc morbi esse habendum.

De hac modo sequente loquitur Gaubius illustris. ‘ Horum singula seorsim, aut ‘ plura simul, sive ipsam extinguant virtutem ‘ motricem, sive conditiones saltem tollant, ‘ sine

* Vid. Patholog.

‘ sine quibus illa in motus consentaneos ex-
 ‘ citari nequeat, utroque modo paralyсин
 ‘ fieri necesse est *.’

Boerhaavius vero inquit, ‘ Causa hujus
 ‘ proxima † semper impeditus fluor liquidi
 ‘ nervosi a cerebro in musculum paralyticum
 ‘ vel liquidi arteriosi in eundem.’ Opinio-
 nem autem Boerhaavianam posteriorem,
 ob causas supra positas, repudiamus.

Causam proximam executi, rationem sig-
 norum hic redderemus, nisi haec e patho-
 logia, causisque remotis mox tradendis, satis
 intellectum iri putaremus.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causae paralysis remotae sunt eae, quae
 homines morbo opportunos efficiunt, quae-
 que eundem excitant, et ab apoplexiae pro-
 priis non differunt, gradu tantum minores.

Quanquam

* Patholog. sect. 753.

† Aphorism. 1058.

Quanquam omnis aetas paralyfi patet, eos, qui circiter annos sexaginta habent, frequentius invadit. Qui ad morbum proclives sunt, in iis signa sequentia se ostendunt: Caput amplum, cervix brevis, pinguedo, habitusque plenus; quibus adjici possunt vita iners, sedentaria, luxuriosa, ebriositas, multus somnus, vigiliae longae et frequentes, studium immodicum, et omnia denique quae systema nervosum debilitant.

Frequentius tempestate admodum frigida et humida *, quam calida et sicca, incidit. Hinc autumnus, hyems, et initium veris ei, quam alia anni tempora, magis favere putantur. Hippocrates † una hyeme paralyfin adeo saepe offendit, ut eam epidemicē graffari putaverit. Caelius Aurelianus ‡ aliique scriptores tempestatibus supra positis eam circumscripserunt.

Causae excitantes duas ad classes redunt. Prior ea, quae vim cerebri imminunt, eamque ejus conditionem, quam col-

C *lapsum*

* Cels. lib. 2. cap. 1. Huxh. de aëre et morbis epidemicis, an. 1730, 33, 34, 35, 37. † Epidem. 1^o chart. tom. 9. ‡ Lib. 2. cap. 1.

lapsum appellavimus, faciunt; *posterior ea,* quae potestatem nervosam per nervos de-
vehi impediunt, comprehendit.

Quae collapsum faciunt, ea vel directe vel indirecte, si ita loqui liceat, agunt. Causae directe agentes sunt ea, quae mobilitatem vel actionem systematis nervosi diminuunt, quaeque magis liberaliter applicata eam ex toto extinguunt. Hoc in exemplo, effectu nullo prius edito, mors saepe infertur. Potestates hujusmodi sedantia vocantur.

Sed antibus potentissimis adnumerandum est frigus intenso, quod, si diu applicetur, potestatem nervosam omnino perdit, mortemque facit, ut, hyeme frigidissima, saepe videmus. Multa exempla, ubi certo loco admotum paralyfin parti intulit, unumque nuperrimum, habemus. Mulier, loco honesto nata, quae ante biennium aut circiter maritum ad Americam belli, quod ibi nunc geritur, causa euntem comitata est, Novi Eboraci, gelu intensissimo, peperit. Paucis

a partu diebus aliquamdiu dormivit, altera manuum stragulis non operta, quae ei ex-perrectae sensu motuque carebat et adhuc paralyssi laborat. Nonnullos, propterea quod saxo frigido insederant, sphincteris ani et vesicae paralyssi subito correptos fuisse, refert Galenus. Multa quoque alia sunt, quae eodem valent.

Frigus, si humori adjungatur, potentius agere reperitur. Hoc exhalationi humiditatis e corpore calorem ejus imminuenti referendum esse experimenta probant *.

Qui affectus animum contristant, velut terror, metus subitus, et moestitia, ii omnes collapsum potenter inducunt, immo mortem nonnunquam faciunt. Hoffmannus, De Haen, et Schenkius multa hoc genus exempla memoriae tradiderunt.

Aér mephiticus, qui olim *gas sylvestre* fuit appellatus, experientia teste, vim cerebri imminuit, et e natura ejus exposita omnibus animalibus, quaे spiritum trahunt, eum

* Vide Physical and Literary Essays, vol. 2. art. 7.
pag. 145.

eum ex aequo nocere novimus. Si quis eum inspiret, et non protinus in aërem purum removeatur, repente extingui confuevit. Spelunca aut Grotto del Cane in Italia hoc fluido adeo abundat, ut canes et omnia alia animalia humiliora, cum primum eam ingrediuntur, quod corpora eorum hoc in fluidum immerguntur, vita priventur. Homo, contra, et alia animalia magis procera, in eam impune longius progredi possunt, quod aér mephiticus, atmosphaerico gravior aequa celeriter, ac marginem superat, effluit, se undique diffundens, non tamen eo altius sese attollens.

Fermentationem subeuntia et ardentia magnas hujus fluidi quantitates praebent. Quinetiam venenum e pulmonibus animalium excernitur, quod aëre atmosphaerico dissolvitur, uti e corpore expellatur. Unde aér purus in pulmones semel receptus, dotes, aëris mephitici proprias reddentes, sibi adipiscitur*. Cum vero aér communis

certam

* Praelect, celeb. Black de Chemia.

certam tantum veneni quantitatem possit dissolvere, novum illius supplementum omnino necessarium. Quod si deest, venenum ea quantitate, ut exitio sit, accumulatur.

Stupor, coma, et apoplexia, quae hoc fluidum tam saepe movet, id, mobilitatem systematis nervosi perdendo, agere demonstrant. Cum animalia, quae apoplectica vel paralytica eo fuerint reddita, facilitate solita spirare pergant, id in sensorium commune, et non in bronchia cellulasque pulmonum, ut auctoriibus placuit nonnullis, agere concludere licet. Non defunt quidem medici hodierni, qui hoc fluidum, in pulmones inhalatum, in auxilium phthisis pulmonalis promptum esse contendunt.

Fumi sulphuris ardantis, plumbi, mercurii, arsenici, antimonii, &c. eandem natram habere, in nervos olfactorios agere, vimque nervosam, statum collapsus inducendo, extinguere videntur. Qui in his metallis effodiendis, fundendis, &c. occupantur, potissimum inauratores, ii in pri-

mis

mis apoplexiae et paralyſi objiciuntur. Plumbum acidis corroſum potestatem nervosam potenter imminuit.

Venena narcotica vim nervosam non minus efficaciter perdunt, quam cauſae modo comprehensae. Praecipua autem illorum funt, opium, cicuta, belladona, hyoscyamus, mandragora, nicotiana, solanum, stramonium, laurus, et alochol. Cum actio omnium horum fere eadem sit, de opio solo fuse dicemus.

Hoc vim stimulantem an directe sedantem habeat, nondum compertum esse videatur. Vis imaginandi vegeta et hilaritas, quae opium liberaliter adhibitum nonnunquam excipiunt, potestatem ei inesse stimularem indicant. Gravis stupor, contra, somnolentia, insensilitas, frigus, et debilitas, quae signis supra positis brevi succedunt, et praesertim quod ad mortem usque incrementa, potestatem sedantem ei non defesse, clare evidenterque teſtantur.

Venena narcotica paralyſin movere, multa documenta, praesertim in experimentis

mentis virorum admodum celebrium Monroii et Whyttii, habemus. Haec quidem corporis extrema, vel quamlibet aliam infra eam, cui admota fuerunt, partem saepius affici ostendunt.

Si sedantia modo agendi suo differunt, hoc tantum plus minusve potestatis stimulantis, antequam sedans incipit apparere, ostendendo praestant. Ita alcohol magis, quam opium, stimulare existimari potest; sed omnem systematis nervosi actionem aequæ potenter extinguit. Exemplum hoc genus in homine, qui nihil aqua fortius bibere assuetus est, insigne vidi. Hominem, quo cum amicitia ei intercessit, forte offendit, et cum eo, spatio quindecim minutorum circiter octo novemve, liquoris spirituosi e saccharo extracti uncias potavit. In eum subito invaserunt gravis stupor, insensibilitas, ad somnum proclivitas, stertor, &c. quae ad vesperem diei secundi cum fato concessit, increverunt.

Celsus, et auctores quoque recentiores, venerem immodicam pro causa paralysis habent,

habent. In eandem sententiam concedit Tiffotus, qui masturbationem morbum facere opinatur.

Alia paralysis causa, si observationibus auctorum fides habenda, est materia, quae vel extrinsecus in corpus invehiri, et eadem esse ac contagio specifica in morbo venereo, exanthematis, &c. vel in corpore ipso, ut in arthritide et scrophula, generari potest. Insuper, materia hujusmodi in gangraena et sphacelo pro certo progeneratur, et ex ulceribus mali moris vel cancris absorberi potest. In multis ex his exemplis materia absorpta, in sistema nervosum protinus agendo, statum collapsus videtur inducere.

Causae paralysis indirecte agentes sunt eae, quae potestatis nervosae excitationem adaugent; quod facit ut cerebrum et sistema nervosum in statu debilitatis relinquuntur, e quo difficulter emergunt. Hae potestates nominantur stimulantia. Affectus animi excitantes, ut ira et gaudium, et paralysin et mortem etiam inferre confuerunt.

runt. Hos prius excitare, deinde collapsum facere, clare testantur pulsus arteriarum constanter frequentes, rubor faciei, epistaxis, quae nonnunquam subest. Insuper, signa duo posteriora eos quantitatem sanguinis insolitam ad caput mittere, et effusionem vel rupturam facere posse, demonstrant.

Labor longus, praesertim violentus, et nifus nimis magni potestatem nervosam excitatione nimia perdere, vel rupturam facere possunt.

Aromata sunt stimulantia fortiora, et, liberaliter adhibita, vires ventriculo convulsunt, statumque collapsus progignunt.

Quae potestatis nervosae cursum quolibet modo impediunt, ea ad classem causarum secundam relegamus.

E cadaveribus incisis discimus, pressuram cerebrum affientem, et motum potestatis nervosae, ex eodem in nervos commercium ve tantum, quod inter partes cerebri diversas intercedit, et ad functiones ejus exercendas omnino necessarium est, impedientem paralyсин faepe movere. Nulla alia enim

D

ratione,

ratione, quomodo pressura stuporem, aliaque magni collapsus signa, faciat, vel corpus, pressura sublata, ad sanitatem reducatur, potest exponi.

Exempla pressurae varia sunt. Externa esse potest, et a fractura vel parte cranii introrsum pressa, vel a vertebris luxatis medullam spinalem urgentibus, proficiunt. Interna quoque est, ab exostosibus vel tumoribus, nimia distensione, sanguine per rupturam vel anastomosin, quod haemorrhagia cerebri apud Hoffmannum appellatur, vel sero in superficie cerebri, vel intra ventriculos ejusdem effuso, oriens.

P R O G N O S I S.

Eventus hujus morbi plerumque infaustus est, semper dubius. Si stupor, somnolentia, insensilitas, frigoris sensus maneant, et praesertim si multum aetatis aegroto accesserit, vel pars paralytica emaciatur, vel oedemate

œdemate afficiatur, spem salutis non multam affulgere, pro certo possumus affirmare. Morbum vero, contra, periculo ex toto vacare dicere non audemus, licet aeger juvenis sit, parsque laborans magnitudine non imminuatur, licet morbus a congestione proficiscatur, nullaque humorum effusorum signa subsint, licet sensus nulla ex parte amittatur. Quanquam sanguinis missio notas praecipuas sustulerit, et aegrotus morbi immunis aliquamdiu fuerit, exitum tamen felicem fore non fidenter promittendum.

RATIO MEDENDI.

Oeconomia animalis modusque vitiis ejus occurrenti accurate considerata, artem medicam tantum abesse, ut perfectionem attingerit, ut, contra, admodum manca sit, evidenter demonstrant. Exemplum hujus, proh dolor! nimis luculentum in uxore, qua nihil unquam amabilius excellentiusve fuit,

fuit, viri admodum reverendi Roberti Carter Thelwall, mihi in primis amici, se numerus ostendit. Omni felicitate, quae mortalibus solet contingere, fruens, suos diligens et ab illis, non sine causa gravissima, miro amore dilecta, alterius capitatis lateris dolore correpta est. Licet hic non nihil sublatus; tantus tamen stupor et somnolentia eam invaserunt, ut nec stimulantia, nec quodlibet aliud remedium morbum potuerit depellere, quanquam signa aliqua ex parte levarunt. Hoc casu funesto, multumque semper deplorando, et multis quos viderim aliis inductus medicinae impotentiam non execrari non possum.

Ad inceptum vero redeamus. Consilia autem medendi tria sunt:

I. Morbo, cum seminium vel signa atoniae se ostendunt, occurrere.

II. Congestionem et plenitudinem tollere.

III. Cursum potestatis nervosae liberum reddere.

Quantum

Quantum primum consilium spectat, ei respondent sequentia: A. Causas remotas tollere. B. Tonum et vigorem systematis nervosi sustentare. C. Compressioni occurere.

A. Cum causae remotae corpori exteriori applicantur, protinus sunt tollendae. Hoc multis in exemplis morbo occurret.

B. Caeterum, cum morbus a potestatis nervosae defectu pendet, tonum hujus et vigorem sustentare difficilius erit. Hoc tamen forsitan praestabunt: a. Diaeta valens et nutriendens. Qui cibus hoc in casu idoneus est, is ad putredinem minime proclivis et parum stimulat. Quanquam diaetae ex toto vegetabili nonnulla objici possunt; e feminibus tamen farinaceis et lacte, utpote quae plurimum nutriant satisque roborent, potissimum conficiatur suadeo. Singulis diebus aliquantum cibi animalis dari potest. Nec adiposum sit, nec quantitate nimium. Caro bubula et ovilla forsitan, utpote quae magis perspirabilis sit, carni anima-

animalium juniorum, avibus piscibusve, anteponenda.

Non aegroto usu vini interdicerem, praesertim si aetate proiectus eive insuetus fit.

Quantitas consuetudine aegroti regenda.

Quod vinum optime convenit, id est rubrum Lusitanum, vel Maderense, cui ad minimum admisceatur aqua aquae quantitas. Idem dilutius illi pro potu communi esse potest. Si vero non multum aetatis aegroto accesserit, et vinum vel liquores spirituosos bibere parum infueverit, melius forsitan foret his ex toto abstinere, et aliquod diluens mite, quale est aqua simplex, vel lacti admista, vel aliqua herba aromatica, velut melissa, imbuta, pro potu communi adhibere.

b. Calor et corporis universi, et partis affectae potissimum, summa cura sustentatus. Hoc praestat actionem cordis et arteriarum, praesertim superficiei propriarum, promovere: a. Diaeta idonea, qualis supra fuit comprehensa. s. Exercitatione singulis diebus in tres quatuorve horas adhibita,

quae

quae vel equitare, vel rheda aperta, laminis ferreis elasticis nullis vel brevissimis sustentata, vehere esse potest: 2. Frictione vespere et mane per spatium horae diutiusve adhibenda.

Facilitas, qua cutis nonnullorum inflammatur, et epidermidem amittit, ne frictio verriculo, vel etiam panno laneo fiat, saepe cavet. Huic vero incommodo, ut experthus sum, efficaciter occurrit aliquantum panni lanei corpori arcte circumdatum. Si in loco, cui applicatur, rite figatur, verriculum libere huc illuc moveri potest. Quinetiam partes, quae non verriculo subjacent, a frigore defendit.

Cum balneum frigidum corpori vires conciliet, et actionem vasculorum extreorum potenter moveat subito adhibitum, ad id hoc in exemplo hos effectus edendi consilio confugi potest. Aqua corpori semper affundenda. Temperies ejus ad minimum gradum thermometri Fahrenheitiani quinquagesimum adaequet, et sexagesimum plerumque non excedat. Non nullis

nullis in casibus multo calidior esse potest. Hoc autem memoria semper tenendum, non ad lavationem frigidam decurri oportere, nisi aegrotus ea jam insueverit, nisi ruborem totius corporis superficie et calorem excitaverit, et corpus vegetum animumque hilarem reddiderit, nisi omnia inflammatio-
nis signa sublata fuerint. Si aegrotus, contra, ea nunquam ante fuerit usus, si aquam aliquam ex parte reformidet, si affusionem excipient pallor superficie, sensus frigoris, rigor, ea, ut remedio periculosissimo, semper abstineatur.

c. Mobilitas systematis nervosi conservata. Ad hanc autem illaefam servandam, conferunt remedia supra comprehensa, et sequentia diligenter vitata, omnes evacuationes nimis liberales, velut sanguinis detrac^tio, alvi purgatio, sudatio, venus nimia, exercitatio violenta, defatigatio, cogitatio studiumve intensius, affectus animi concitatores, vigiliae, multus somnus.

C. Ut compressio hoc in exemplo tan-
tum ea esse potest, quae ab effusione vel
haemorrha-

haemorrhagia oritur, ita ei non aliter, quam plenitudinem et congestionem fugiendo, et omnia quae liberum sanguinis a capite descensum impediunt removendo, occurtere possumus.

Confilio alteri respondent, missio sanguinis universa locove propria, viribus aegroti temporique morbi accommodata, epispastica, alvus modice fusa servata, regimen antiphlogisticum.

Confilio tertio accommodantur:

A. Cursum quem tenent nervi, quolibet obstaculo liberare. B. Compressionem cerebri tollere. C. Potestati nervosae vigorem et mobilitatem reddere.

A. Cursum quem tenent nervi, quolibet obstaculo liberare.---Hoc autem nervus divisus, natura portiunculae mutatus, compressus esse potest. Cum vitia duo priora suam per naturam, quantum noverimus, insanabilia sint, ea silentio fere praetereamus oportet. Hoc tantum notamus, nervo diviso, si partes non protinus conjungantur, primoque, uti aiunt, consilio sanen-

E tur,

tur, potestas nervosa non amplius per eum descendere potest. Immo nervus ad sanitatem pro votis reductus raro munia sua, et nunquam nisi longum post tempus, obire valet. Vitio posteriori medetur causa comprimens sublata, ossa, ex. gr. luxata et fracta in locum reducta, tumores, cum tuto fieri potest, extirpati. Si viam hoc faciendi discere velis, chirurgorum opera adeas.

B. Compressionem cerebri tollere.----

Cum pressura a congestione et plenitudine proficiscitur, sanguis parcus copiosiusve, pro viribus aegroti, protinus mittendus. Si prima detractio signa non satis levet, et pulsus arteriarum pleni validique maneant, altera sanguinis quantitas, sex octove horis elapsis, vel vena incisa, vel cucurbitulis cruentis temporibus admotis,mittenda. Tertia sanguinis detractio admodum caute adhibenda, et loco propria tantum forfitan esse debet.

Utrum sanguinem e collo vel e brachio, in paralyfi depellenda, emittere magis conveniat, ambigo. Caeterum, ut hoc illi anteponam

ponam animus admodum inclinat, nec, incisione ampla facta, commodum minus fore duco. Si vero plus levaminis a vena jugulari, quam a brachii propria incisa, oriri concedatur, nonne fascia illi postea arcte admovenda, sanguinem intra caput nimis coercendo, effectus pravos edet, qui loci discrimine minime possunt pensari? Regimen antiphlogisticum praecipiendum, viribus aegroti et vigori accommodandum. Admodum stricte hoc adhibere raro necesarium evadet.

Epispaistica, setacea, fonticuli, utpote quae plenitudinem imminuant, proderunt.

Cathartica, et plenitudinem universam et vasorum capitis propriam tollendo, et intestina etiam, praesertim rectum, a stercore indurato libera servando, quod sanguinem artus inferiores libere adire et inde redire patitur, in morbum non parum poterunt. Magnum sanguinis impetum, stercore indurato aortam descendentem venamque cavam premente, ad caput nonnunquam fieri, testantur faeces durae foras expulsae, non-

nulos

obnox

nulllos capitisi dolores subito levantes. Circuitus igitur sanguinis, in artibus inferioribus nullis obstaculis objectus, cursum ad caput imminuit, et igitur admodum utilis.

Quae cathartica hoc in morbo cum commodo adhibentur, ea numerosa sunt. Cæterum, in confilium proxime positum optimè accommodatur aloë. Aliis vero consiliis melius respondent ea, quae evacuacionem majorem faciunt, et, ob intestinorum insensibilitatem, quae in paralyſi invaleſcit, quantitatibus praeter confuetudinem magnis sunt affumenda. Dari possunt, oleum ricini, pulvis jalapii compositus, infusum fennae, et compluria alia. Cum enemata pessive retineri possunt, ad hos et ad illa configere saepe non alienum erit.

Quinetiam congestio cursum humorum ad artus inferiores, per pediluvia et vestitum pedum calidiorem faciendo, caput truncumque corporis, præfertim illud, magis quam extrema, elevando, et eodem tempore omnia quae impetum sanguinis ad caput movent, et plenitudinem augent, vietando,

tando, removeri potest. Hinc liquores fermentati et spirituosi, et plerumque, eandem ob rationem, emetica parum idonea.

Cum pressura a sanguine ferove ob plenitudinem effuso proficiscitur, eadem remedia, quae in congestione, conveniunt. Cæterum, in iis exemplis, ubi effusio a laxitate exhalantium adaucta oritur, raro vel nunquam idonea. In exemplis hoc genus, sanguinis detractionem, et purgantia drafstica admodum perniciosa fore, manifestum. Epispaistica capiti applicata, et setacea cervicis, praecipua remedia esse videntur, quae adhiberi possunt. His ea remedia adjungas, quae absorptionem faciunt, qualia sunt tonica et astringentia.

Quaedam compressiones ab exostosibus cranii, membranis naturam osseam induentibus, tumoribus harum substantiaeve cerebri, et abscessibus ortae, nihil curationis a medicina recipere possunt. Igitur aliquid super his in medium proferre supervacaneum.

Omnia exempla, quae a violentia externa pendent, cum chirurgorum sint, non nostrum exequi ducimus.

C. Potestati nervosae vigorem et mobilitatem reddere.---Hoc statum collapsus spectat, et forsitan remedia diversa, prout collapsum fecerunt, causae directae vel indirectae, nos pracepturos esse expectabitur. Caeterum, omnibus inflammationis signis remotis, collapsus in utroque exemplo iisdem remediis depellendus.

Vigorem potestatis nervosae et mobilitatem restituunt causae collapsus remotae. Super hac re jam comprehensis hoc solum adjiciendum supereft, omnes morbos, qui collapsum faciunt, prius curari, et material quam dignunt, vel unde oriuntur, e corpore expelli, omnesque ejus fontes, si fieri potest, exsiccati oportere.

Corpus firmant, et igitur nervis vigorem comparant, diaeta nutriens, qualis supra fuit comprehensa, medicamenta tonica, exercitatio, balneum frigidum, quae, si caute adhibe-

adhibeantur, ut supra monuimus, remedia potentissima sunt, ad quae potest decurri.

Quae tonicis reliquis praestant, ea sunt cortex Peruvianus et chalybs: Vel simul vel separatim, et aequo liberaliter, ac ventriculus aegroti ferre valet, dari possunt. Rubigo chalybis reliquis ex eo praeparatis anteponenda, et magis liberaliter, quam sollet, sumi potest. Ad sex drachmas usque, singulis diebus, tuto datam fuisse accipi.

Tonica quaedam singularia, velut flores zinci, juvare possunt. Amicus meus ingeniosissimus Dr Joannes Evans, qui Salopiae medicinam facit, in epistola, quam ab eo nuper accepi, zincum, satis liberaliter datum, in epilepsiam plurimum posse refert. A decem florum granis incipit, et dosin, donec aliquot ejus effectus manifestos percipiat, adaugere pergit. Vir celebris Dr Home flores zinci, hac hyeme in Nofocomio Regio Edinensi, ad grana quinquaginta septem usque, pro dosi dedit. Dosis autem aequo

aeque largam in paralyfi dare, raro erit ne-cessarium.

Amara et astringentia conjunctim dan-tur; sed non aequa, ac cortex Peruvianus, profunt. Astringentia autem praecipua sunt alumnen et acidum vitriolicum. Ef-fectus tonicorum haud dubie edunt; quan-tum vero fiduciae in paralyfi in iis sit col-loandum, experientia nondum demonstra-vit.

Antispasmodica utilia esse possunt, cum subfultus convulsivi morbum comitantur. Utrum vero in ullo paralyfis exemplo nar-cotica necne adhiberi possint, non parum ambigo. Moschus haud dubie dari potest.

Quo vigor mobilitasque systemati ner-vofo restituantur, calorem, et totius corpo-ris et partis laborantis potissimum, omni ra-tione sustentare conandum. Hoc optime praefstat circuitum sanguinis quam maxime liberum efficere.

Equitare, vel tali rheda, qualem supra descripsimus, vehere, huic consilio optime accommodatur. Si neutrum horum ferre possit

possit aegrotus, quodlibet aliud gestationis genus, quod parum fatigationis comitatur, velut equuleum cubiculo accommodatum, vel quodlibet simile, adhibere potest.

Remedia ad actionem potestatis nervosae excitandam apta sunt stimulantia. In vim nervosam inertiam illam, quae adeo constanter in paralyssi invalefecit, tollendo, protinus agant necesse est.

Cum stimulantia interne adhibentur, effectus suos in ventriculum edunt, qui inde per nervos in partes systematis universas diffunduntur. Hoc modo agunt sequentia, piper, zinziber, sinapi, cochlearia, raphanus rusticanus. His adjungi possunt alkali volatile et balsama. Haec omnia vim nervosam adaugent. Quo modo agant, nondum compertum.

Stimulantibus externe applicandis adnumerandus est calor. Quatenus sub forma ignis possit adhiberi ignoro. Caeterum, commoda, quae inde possunt oriri, parva, pericula multa esse videntur. Vim nervo-

sam semper debilitat diu admotus. Electricitas vero omni hujusmodi consilio respondet, et stimulans longe potentissimum est quod corpori humano applicari potest. In totum systema eodem tempore, vel in partem laborantem solam, pro lubitu adhibentis, aget. Vis succussuum vero limitibus admodum angustis circumscribitur. Si terrorem aegrotanti incutiant, sub initium admodum leves esse, et postea, prout occasio postulat, augeri debent. Scintillae e parte laborante extractae non aequa succussus profundunt. Vir celeberrimus Joannes Robison, philosophiae naturalis in Academia Edinensi Professor, ut electricitas succussum parvolorum serie adhibetur, et per membrum paralyticum dirigatur, horitur. Hoc globulum partem digiti centesimam, aut circiter, a globulo phialae proprio figendo, filumque ferreum, si ita loquacitate, illum inter et summam membra laborantis partem interponendo, fieri potest. Communicatione autem pedem inter et exteriorum phialae tegumentum, per alterum filum

lum ferreum facta, fluidum electricum non citius quantitate idonea colligetur, quam ex uno filo devehente in alterum, tunicamque phialae exteriorem transfibit.

Utra vero ratione electricitatem adhibebis, vigorem et mobilitatem potestatis nervosae multum adauget, cor firmat, et circuitum igitur sanguinis celeriorem reddit. Hoc clare exponit, cur partes paralyticae per electricitatem magis plenae et obesae efficiantur. Cum paralysis a collapsu pendet, omnis forsitan fiducia nostra in electricitate collocanda.

In plerisque exemplis, haec remedia universa circuitum sanguinis in parte laborante non satis promovent. Igitur electricitatem sub forma scintillarum, frictionem, epispastica, et rubefacientia parti affectae applicare, eandemque exercitare, omnino necessarium est. Nihil hic notandum superest, nisi quod exercitatio, quam hoc in loco volumus, machina a Buzaglo Londinensi inventa, peragitur, quae adeo formatur, ut membrum aegri laborans vel quaelibet pars absque

absque reliquis possit exerceri. Structura autem hujus machinae omnes, praeter auctorem, adhuc latet.

Causis omnibus denique, quae ea, quae consiliis prioribus respondent, adhiberi prohibent, diligenter occurratur. Si huic consilio satisfacere velis, omnes causas, quae vires corpori convellunt, velut pravam cibi concoctionem, alvumque astrictam, curiose fugias. Hanc laxantibus, oleo ricini vel aloë, solutam teneas. Calorem corporis debitum id panno laneo involvendo, nihilque lineum proxime cutem gerendo, conserves. Omnes animi affectus concitatores studiose vites. Laetitiam, contra, modicam gaudiumque quaeras.

F I N I S.